



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0362

Sabato 27.05.2017

Lettera all'Inviato Speciale alle celebrazioni del 375° anniversario di fondazione del Santuario di Kevelaer (Germania) dedicato alla Madonna "Consolatrix Afflictorum" (3 giugno 2017)

In data 1° aprile 2017, il Santo Padre Francesco ha nominato l'Em.mo Card. Karl-Josef Rauber Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del 375° anniversario di fondazione del Santuario di Kevelaer (Germania) dedicato alla Madonna *Consolatrix Afflictorum*, in programma il 3 giugno 2017.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici, in servizio pastorale presso il suddetto Santuario mariano:

- Rev.do Don Josef Cornelissen;
- Rev.do Don Michael Wolf.

Pubblichiamo di seguito la Lettera che il Papa ha inviato all'Em.mo Card. Karl-Josef Rauber:

Lettera del Santo Padre

*Venerabili Fratri Nostro
CAROLO IOSEPHO S.R.E. Cardinali RAUBER
Diacono Ecclesiae S. Antonii Patavini ad Circumitionem Appianam*

Beata Virgo Maria, "humilis ancilla Domini, Christum concipiens, generans, alens, in templo Patri sistens, Filioque suo in cruce morienti compatiens, operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est, oboedientia, fide, spe et flagrante caritate, ad vitam animarum supernaturalem restaurandam. Quam ob causam Mater nobis in ordine gratiae exstitit" (*Lumen gentium* 61). Ideo iure meritoque christifideles, praesertim bellis aliisque periculis oppressi, ad maternam tutelam Deiparae uti filii per saecula fidenter confugiunt, eius invocantes praesidium.

Cum quidem trecenti septuaginta quinque anni a constitutione Sanctuarii Sanctae Matris Dei sub titulo

Consolatricis Afflictorum Kevelariae elapsi sint, Venerabilis Frater Felix Genn, Episcopus Monasteriensis, humanissime postulavit ad huiusmodi eventum digne memorandum ut mitteremus illuc Patrem Purpuratum. Nos autem sine ulla haesitatione te, Venerabilis Frater Noster, Germaniae praestantissimum filium, qui fere quinquaginta per annos in Sanctae Sedis servitio variis in locis fideliter diligenterque operatus es, qui etiam Matrem Dei iugiter sincero veneraris affectu, ad hanc honorificam explendam missionem libenter destinamus.

Quam ob rem hisce Litteris te **Nostrum Missum Extraordinarium** constituimus ut in oppido Kevelaria die III proximi mensis Iunii Nostris vicibus fungaris Nostramque simul geras Personam in agendis dicti Sanctuarii iubilariis celebrationibus. Hac oblata occasione, toto corde per te salutamus cunctos ibi congregatos Christifideles et Pastores, qui Sanctam Dei Genetricem admodum fidenter et frequenter invisunt atque pientissime invocant, eosque caritate Nostra amplectimur.

Pastores enixe cupimus exhortari in Deo, *qui reconciliavit nos sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis (2 Cor 5,18)*, ut ardenter exercent eis a Deo commissum hoc munus sese dicantes Sacramenti Reconciliationis administrationi pro spiritali lucro tot fidelium in peccatorum spinis implicatorum, quos Mater Misericordiae contritos ad Iesum et Ecclesiam reducit. Oportet enim haec dulcissima Regina oculorum intuitu maternoque affectu nos concitet ad opus perficiendum cum Deo et inter homines reconciliationis necnon melioris futuri precibus ac patientia collatis viribus aedificandi.

Te ergo comitetur in missione tua intercessio Beatissimae Virginis Mariae, quae ibi sub titulo Consolatricis Afflictorum colitur, atque sancti Ioannis Pauli II, qui triginta ante annos ad hoc Sanctuarium peregrinatus est. Benedictionem denique Apostolicam, caelestis gratiae auspicem propensaeque Nostrae voluntatis testem, cunctis adstantibus et Matrem Dei pie venerantibus Episcopis, sacerdotibus, diaconis, Seminarii alumnis, religiosis viris et mulieribus christifidelibusque laicis nomine Nostro largiaris volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Maii, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

[00818-LA.01] [Testo originale: Latino]
